



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Incantationes Maxentii, & alimentorum penuria Romae. Cap. XXX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

minibus, tum qui iam sunt, tū qui post futuri sunt, rebus ipsis, quæ multo plus habent ponderis ad fidem faciendam, quàm verba, perspicuè declaravit, celebrem illam & multorum sermonibus nobilitatam Christianorū cōtinentiam, rem esse solam, quæ nec libidine expugnari, nec flagitio perimi labefactariue possit. Atque ista se tam lem & tam illustrem ostendit.

*Populi Romani auctore Maxentio cædes.*

CAP. XXIX.

**H**uius imperatoris igitur metu, qui eiusmodi facinora consciscere non dubitavit, omnes non populus modo, sed etiam magistratus, non nobiles, sed ignobiles, grauitè perculsi, acerbo tyrānidis iugo premebantur. Neque tamen illis licet pacatè & tranquille se gerentibus, asperamq; ferentibus seruitutem, vlla à tyranni crudelitate in ipsos grassante omnino extitit liberatio. Nam quodam tempore exigua & leni de causa populum satellitibus suis nefariè trucidandum obiecit. Ac populi Roma. infinita propè multitudo in ipsa media vrbe, non Scytharum, aut Barbarorum, sed suorum ciuium hastis & armis cuiusque generis misere interfecta fuit. Quanta autem senatorum cædes propter opes & facultates suas fuerit per insidias patrata, dū alias aliæ criminationes in eos, qui neci dabātur, falso cōfictæ essent, ne dicendo quidem explicari potest.

*Incantationes Maxentii, & alimentorum penuria Romæ.*

CAP. XXX.

**A**d extremum verò tyranni scelera ad magicæ artis delabebantur præstigias. Quippe interdū mulieres grauidas dissecuit: nonnunquam tenerorum infantium viscera perscrutatus est, aliquando mactauit leones: sæpe infandas adiurationes ad dæmones excitādos, quò illorum subsidio belli impetum abs se auerteret, usurpauit. Nam horum adiumentis sperauit se victoria facile potiturum. Sic igitur, qui Romæ exercuit tyrannidem,

G g 5                      uidem,

EVSEBII DE VITA

videm, dici non potest, qualia patrando, subiectos in feruitutem redegerit, adeo ut iam in tanta tamque extrema alimentorum ad vitam necessariorum egestate inopiaque constitueretur, quantam non aliàs Romæ extitisse, homines nostri temporis affirmant.

*Copia Maxentii in Italia fusa.*

CAP. XXXI.

**Q**Vare his rebus omnibus ad misericordiam indutus Constantinus, omni apparatu militari se ad delendam tyrannidem armavit. Atque Deo omnium moderatore sibi patrono antè oculos proposito, & Christo seruatore adiutoreque; inuocato, & salutari signo, tanquam victoriæ trophæo antè armatos suos & satellites collocato, cum toto exercitu procedit, Romanis libertatem, quam à maioribus accepissent, recuperaturus. Cùm verò Maxentius machinis præstigiarum magis quam subiectorum beneuolentia confideret, & nullo modo extra portas ciuitatis egredi ausus esset, & omnem locum, agrum, & ciuitatem etiam, quæ ipsius subiiciebatur imperio, ingenti armatorum multitudine, & infinitis copiis muniisset, Imperator Constantinus Dei auxilio nixus, primam, secundam, & tertiam tyranni aciem adortus, & omnibus primo impetu perfacile subactis, vniuersam propè Italorum peragrat regionem: adeo ut iam quàm proximè Romam aduëntaret.

*Maxentii interitus in ponte Tyberis.*

CAP. XXXII.

**D**Einde ne dum tyrannum obsideret, etiam Romanos ipsos oppugnare cogeretur, Deus ipsum tyrannum, tanquam catenis quibusdam ex vrbe extrahit, longoque interuallo à portis constituit, & opera sua iam olim contra impios edita, inque sacris literis, tanquam in tabulis inscripta (quæ quamuis fabulæ loco apud plerosque habeantur, fideque careant, tamè pro certo credantur) reipsa, omnibus, ut comprehendam breui,  
tam